



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE QUO PLENIUS** IN REGNO HASHEMITA IORDANIAE  
NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quo plenius confirmentur vincula amicitiae et  
consociatae operae ac praesertim publicae necessitudinis rationis, nuper inter hanc Apostolicam Sedem et Regnum  
Hashemitam Iordaniae feliciter initae, simulque aptius provideatur spirituali bono catholicorum fidelium illic degentium,  
Nobis peropportuno videtur in memorata Natione Apostolicam Nuntiaturam condere. De communi igitur utriusque partis  
voto, audita Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, summa Nostra potestate harumque Litterarum virtute in Regno  
Hashemita Iordaniae Nuntiaturam Apostolicam constituimus, factis omnibus iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis  
et indultis, quae huiusmodi Legationum propria sunt, mandantes ut eius sedes in urbe «Amman» ponatur. Quod faustum  
sit etiam dilecto Iordano populo itemque felix fiat auspiciis ad optatam restituendam pacem iis in regionibus, in quibus  
exstant Christianae nostrae fidei historica, sacra et clarissima monumenta. Has denique Litteras, in forma Brevis maioris  
expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud  
Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Aprilis, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto  
decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana